Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31388
Copyright: <a href="https://creativecommons.org/licenses/by/4.0/deed.de" target="_blank">CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"></a>  <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">  <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



habet ex inclinacione qua
deus nature conditor et gu-
bernator seu director rerum
naturam inclinat ad aliquid
et non habet huius inclina-
cionem ex se ipsa sicut id quod
habet liberum arbitrium
ex se ipso inclinatur ad malum
cuius deus non autor Et
ideo nulla virtus potest repug-
nare inclinacioni nature
Aliter enim repugnaret deo
naturam inclinanti Amor
probatur quia temperancia retrahit
a delectacionibus ad quas
natura inclinat Et sic repugnat
inclinacioni nature Hoc enim
alicui rei repugnat quod
ab illo retrahit et decli-
nare facit ad quod illa res
inclinat seu inducit Se-
cundo probatur minor quia
naturaliter homines inclinantur
ad vicia ut ad crapulam
et fornicacionem et tamen huiusmodi
inclinaciones nature sunt
virtutes ut temperancia et alie

igitur temperancia repugnat inclinacioni
naturali quia et 2a pars antecedentis
sunt manifeste Sed prima
pars antecedentis patet per experienciam
et per illud Gen. 8 Nequaquam Gen. 8
ultra maledicam terre propter
hominem Sensus enim et co-
gitacio humani cordis in malum
prona sunt ab adolescencia
sua Sic igitur videtur quod
in statu nature corrupte homines
inclinentur ad vicia ex natura
et non semper ex mala dispo-
sicione vel habitu acquisito
Solucio maior est falsa
Ad probacionem dicendum quod temperancia
non retrahit ab omnibus
delectacionibus ad quas natura
inclinat sed a bestialibus
seu inordinatis Unde S. T.
hanc racionem solvendo dicit
natura inclinat in id quod
conveniens est unicuique Unde
homo naturaliter appetit delectacionem
sibi convenientem Quia vero
homo in quantum huiusmodi est
racionalis consequens est quod ille delectaciones